

ANNO
MDC

30



IMP. R. VDOL-
PHI SECVNDI, ROMA-
NORVM CAESARIS
SEMPER AVGVSTI, &C.

Comitiva Palatina

Ex singulari gratiâ concessa

D. NICOLAO REVSNERO
IVRISCONSVLTO.

*Cum Epigrammatis variorum
& diversorum auctorum in
honorem eiusdem
scriptis.*



I E N Æ

Typis Tobie Steinmanni, Anno 1599.

CVM PRIVILEGIO.



R





MAGNIFICO NOBILISSIMO ET CONSULTISSIMO VIRO

D. IOHANNI BARVITIO
IVRISCONSULTO

SAC. CAES. MAIESTATI

ab intimis consilijs & secretis,

COMITI PALATINO, &c.

Quod tibi cura placet, quod sancta potestas,
Consilijq; fides tam bene nota tui:
BARVITI, Phœbi decus & spes fida sororum,
Magnum conciliat res decus illa tibi.
Jure favet tibi Caesar, & omnis Caesaris aula:
Plebs favet, & gratus prœdicat omnis Eques.
Prædicat & Phœbus; simul & te Phœbicus ordo,
Totus te meritò deniq; mundus amat.

N. Reusnerus Leorinus
Com. Pal. Cæs.



V D O L P H V S

SECUNDO, DIVINA
favente clementia, Electus
Romanorum I M P E R A
T O R semper Augustus, ac
Germaniæ, Hungariæ, Bohe
miæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Scla
voniam &c. R E X, *Archidux* Austriæ, *Dux* Bur
gundiæ, Brabantia, Stiria, Carinthia, Carnio
lia &c. *Marchio* Moravia &c. *Dux* Lucembur
gia, ac Superioris & Inferioris Silesia, VVirtem
bergia & Teckia, *Princeps* Suevia, *Comes* Habsburgi,
Tirolis, Ferreti, Kiburgi & Goritia, *Landgra
vius* Alsatia, *Marchio* Sacri Romani Imperij
Burgonia, ac Superioris & Inferioris Lusatia,
Domnus Marchia Sclavonica, Portus Naonis &
Salinarum &c: H O N O R A B I L I, Docto, Nos
stro & Sacri Imperij fidei dilecto N I C O L A O
R E V S N E R O, Iuris utriusque Doctore, Sacri
Lateranensis Palatii, Aulaeque nostrae Cæsareæ, &
Imperialis Consistorij C O M I T I, gratiam no
stram Cæsaream, & omne bonum.

Laudatissima fuit à multis jam seculis Maio
rum

A 2

rum

rum nostrorum, Romanorum Imperatorum ac Regum gloriosissimorum, consuetudo; ut quos vel honesta generis origine claros, vel vitæ morumque integritate conspicuos, alijsque virtutum ornamentis præditos, animadvertent; eosdem munificentia sua decorandos extollendosque præ alijs susciperent.

Hinc quidem diuersa præmiorum genera, quibus eos pro rerum qualitate ac personarum conditione cohonestarent, rectè decreuerunt: Idque non solum hanc ob causam, ut ij virtutis beneficio dignos ab Imperiali culmine honores se consecutos esse certò intelligerent; sed & posteri eorum, vel inde maiori domesticæ laudis tuendæ propagandæque studio allecti, ad paria virtutis ac veræ gloriæ certamina totis viribus, adeoque pleno cursu, alacriter contenderent.

Vnde & nos benigno DEI beneficio, in Imperiali dignitate constituti, nihil prius antiquiusque ducimus; quàm præclara Antecessorum nostrorum instituta ac vestigia, cum in alijs, tum verò hac ipsa in re, firmiter imitari: ac bonos quoque viros, quos & præter natalium decus, maiorumque merita, spectata vitæ morumque probitas; tum verò continua in Sacrum Romanum Imperium & in nos sinceræ fidei & observantiæ devotio commendatos & gratiosos reddit; favore iugiter complecti;
adeoque

adeoque commodis & ornamentis eorum augenda
disquavis occasione clementer annuere: certum
perspectumque habentes, id non minus ad Rem-
publicam fovendam, quam ad Imperatoriae Maie-
statis splendorem magis illustrandum, pertinere; si
vel ea ratione honestae cupiditatis igniculis, alias
mortalium animis à natura tributis, fomitem ad-
diderimus: virtutisque decus, perpetuo nostrae be-
neficentiae pignore, posteritatis memoriae com-
mendatum, immortalitatis beneficio commenda-
uerimus. Edocti itaque te **NICOLAUM**
REVSNERVM, ijs parentibus ac maioribus in
nostro Silesiae Ducatu oriundum esse; qui de Sacro
Imperio, Augustaque Domo nostra, ac de patria
sua, tum pace, tum bello, benemereri pro viribus
studuerint; atque honestum inter suos locum obti-
nerint: teque eorum vestigia insistendo, id tibi à
primis temporibus aetatis propositum habuisse; ut
domesticum decus non tantum conservares: sed
etiam propria virtute augeres: & , quoad eius fieri
posset, in altiore gradum eueheres: idque adeo te
consecutum esse; ut in literarum ac linguarum stu-
dij tantos progressus feceris: ita pectus optimis dis-
ciplinis ac scientijs imbueris: tantam Oratoriae &
Poeticae facultatis, tantam historiae & Iurispruden-
tiae laudem varijs in Academijs acquisieris & cu-
mularis: ut inter celeberrimos, qui hodie in Ger-
mania

mania clarent, Oratores, Poetas, Historicos & Ius
reconsultos meritò recenseri possis; qui varia in-
dies scripta oratione tùm ligatâ, tùm solutâ in lu-
cem edas: & tàm in scholis, quàm in Principum,
quibus à consilijs es, aulis magnifias; cui gravia sæpè
Reipublicæ negocia explicanda, Legationesque so-
lennes obeundæ iniunguntur; in quibus industri-
am prudentiamque tuam singularem magis ma-
gisque probes: & eximiam nominis tui celebra-
tem & claritatem tibi concilies: ac benè de nobis,
de Sacro Imperio, & Augustâ Domo nostrâ me-
reri studeas: prætermittere nolimus; quin insigni
aliquo te gratiæ nostræ documento benignè susci-
peremus decorandum. Motu igitur proprio, ac
ex certa nostra scientia, animoque benè delibera-
to, sano accedente consilio, & Cæsareâ authoritate
nostrâ, te prædictum NICOLAVM REVS-
NERVM *Sacri Lateranensis Palatii, Aulaeque
nostræ Cæsareæ, & Imperialis Consistorij* COMI-
TEM fecimus, creauimus, ereximus: & COMI-
TATVS PALATINI titulo clementer insi-
gnivimus; prout tenore præsentium facimus, crea-
mus, erigimus, attollimus, & insignimus; ac alio-
rum COMITVM PALATINORVM nu-
mero & consortio gratiosè aggregamus & ascri-
bimus: Decernentes, & Hoc Imperiali statuentes
Edicto, quòd ex hoc perpetuo deinceps tempore
omnibus

omnibus & singulis priuilegijs, gratijs, iuribus, im-
munitatibus, honoribus, exemptionibus, consue-
tudinibus & libertatibus uti frui & gaudere possis
ac valeas: quibus cæteri Sacri Lateranensis Palatij
Comites hæctenus usi & potiti sunt, seu quomodo-
libet utuntur & potiuntur; consuetudine vel de
jure: DANTES & concedentestibi NICO-
LAO REVSNERO amplam auctoritatem &
facultatem; qua possis & valeas per totum Roma-
num Imperium, & ubique locorum ac terrarum
Notarios publicos seu Tabelliones & Iudices Or-
dinarios *creare* & facere: ac universis personis,
quæ fide dignæ, habiles & idoneæ fuerint (super
quo tuam oneramus conscientiam.) Notariatûs
seu Tabellionatûs & Iudicatûs Ordinarij officium
concedere & dare, ac eos, & eorum quemlibet, per
pennam & Calamarium, prout moris est, de præ-
dictis inuestire: Dummodò tamen ab iisdem No-
tarijs publicis seu Tabellionibus, & Iudicibus Ordi-
narijs per te creandis, ac eorum quolibet, vice &
nomine nostro, & Sacri Romani Imperij, & pro
ipso Romano Imperio, debitum fidelitatis recipias
corporale & proprium Iuramentum, in hunc vi-
delicet modum: Quòderunt nobis & Sacro Ro-
mano Imperio, omnibusque successoribus nostris,
Romanorum Imperatoribus ac Regibus, legitimè
intransibus, fideles; nec unquàm intererunt consi-
lio,

lio, ubi nostrum periculum tractetur; sed bonum
& salutem nostram defendent fideliter, & pro-
mouebunt; damnaque nostra pro sua possibilitate
vetabunt & auerterent. Præterea Instrumenta
omnia, tam publica quàm privata, ultimas volun-
tates, codicillos, Testamenta, quęcunque Iudicio-
rum Acta, ac omnia alia & singula, quę ipsis & cui-
libet ipsorum, ex debito dictorum officiorum fa-
cienda occurrerint vel scribenda, iustè, purè, fide-
liter; omni simulatione, machinatione, falsitate &
dolo remotis: scribent, legent, facient atque dicta-
bunt: non attendendo odium, pecuniam, munera,
aut alias passiones & favores. Scripturas verò,
quas debent in publicam formam redigere, in
membranis mundis, non chartis abrasis aut papy-
ris, fideliter, secundum locorum consuetudinem,
conscribent, legent, facient atque dictabunt: Cau-
sas hospitalium & miserabilium personarum, nec
non pontes & stratas publicas, pro viribus promo-
vebunt; sententiasque & dicta testium, donec pu-
blicata fuerint & approbata, sub secreto fideliter
retinebunt: ac omnia alia & singula rectè, iustè &
purè facient, quę ad dicta officia quomodolibet
pertinebunt, consuetudine vel de jure. Quodque
huiusmodi Notarij publici seu Tabelliones & Iu-
dices Ordinarij, per te creandi, possint & valeant
per totum Romanum Imperium, & ubilibet loco-
rum

rum ac terrarum, facere, scribere & publicare contractus, Iudiciorum Acta, Instrumenta & ultimas voluntates: decreta quoque & auctoritates interponere in quibuscunque contractibus, tale quippiam requirentibus; ac omnia alia facere, publicare & exercere, quæ ad officium publici Notarij, seu Tabellionis, & Iudicis Ordinarij pertinere & spectare noscuntur: decernentes, ut omnibus Instrumentis & scripturis, per huiusmodi Tabelliones, Notarios publicos, siue Iudices Ordinarios fiendis, plena fides ubique adhibeatur, in iudicio & extrà: Constitutionibus, statutis, & alijs in contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque.

INSUPER tibi prædicto NICOLAO REVSNERO concedimus & elargimur plenam facultatem, quòd possis & valeas *Naturales*, bastardos, spurios, manseros, nothos, incestuosos, copulativè vel disiunctivè, & quoscunque alios, etiamsi infantes fuerint, præsentis vel absentes, ex illicito & damnato coitu procreatos vel procreandos; masculos & fœminas; quocunque nomine censeantur; existentibus vel non existentibus alijs filijs legitimis; eis etiam aliter non requisitis; viventibus vel etiam mortuis eorum parentibus (Illustrium tamen Principum, Comitum & Baronum

Baronum filijs duntaxat exceptis) *legitimare*,
& eos, ac eorum quemlibet ad omnia & singula
Iura legitima restituere; omnemque geniturę ma-
culam penitus abolere, ipsos restituendo & habi-
litando ad omnia & singula iura successio-
num & hæreditatum, bonorum paternorum & materno-
rum, etiam ab intestato cognatorum & agnato-
rum; ac ad honores, dignitates & singulos actus le-
gitimos, tam ex contractu, vel ultima voluntate,
quàm alio quocunque modo, tam in Iudicio,
quàm extrà, perinde ac si essent de legitimo matri-
monio procreati: obiectione prolis illegitimæ pe-
nitens quiescente: Quodque illorum legitimatio
per te, vt suprà facta, maximè habeatur & tenea-
tur: non secus, ac si foret cum omnibus Iuris solen-
nitatibus, quarum defectus specialiter autoritate
Imperiali suppleri volumus & intendimus; dum-
modò tamen Legitimationes huiusmodi non præ-
iudicent filijs & hæredibus legitimis ac naturali-
bus: Quin ipsi legitimandi, postquam sic legiti-
mati fuerint, sint & esse censeantur ac nominen-
tur, & nominari possint ac debeant ubique loco-
rum, tanquam legitimi & legitimè nati, de domo,
familia & Casata parentum suorum; ac arma &
insignia eorum portare ferreque possint & va-
leant.

Quin

Quin immò efficiantur Nobiles, si parentes eorum nobiles fuerint: non obstantibus aliquibus legibus; quibus cavetur, quòd naturales, bastardi, spurij, manseres, nothi, incestuosi, copulativè & disiunctivè, vel alij quicunque ex illicito & damnato coitu procreati vel procreandi, nec possint nec debeant legitimari, liberis naturalibus legitimis existentibus; vel sine voluntate & consensu filiorum naturalium & legitimorum, aut agnatorum, aut feudi Dominorum; & specialiter in *Authent. Quib. mod. natur. effic. leg. & c. Quib. mod. nat. effic. sui, per totum. & §. naturales. Si de feud. controuv. fuer. int. Dom. & agnat. & l. iubemus. C. de Emancip. liberorum. & alijs similibus.* Quibus legibus, & cuilibet ipsarum volumus expresse scienterque derogari: neque etiam obstantibus in prædictis aliquibus contrahentium dispositionibus, & defunctorum ultimis voluntatibus, alijsvè legibus, locorumque statutis & consuetudinibus, etiamsi tales essent, quæ exprimi deberent; aut de quibus hîc mentio specialis facienda esset. Quibus obstantibus, & obstare volentibus, in hoc casu duntaxat ex certâ scientiâ, & de plenitudine Cæsareæ nostræ potestatis totaliter derogamus, & derogatum esse volumus.

AD HÆC tibi præfato NICOLAO REVSNERO damus & concedimus: vt possis ac valeas *Tutores & Curatores confirmare,*
B 2 . ipsosque

ipſosque cauſis legitimis ſubſiſtentibus amovere:
Inſames, tam facti, quam juris, *reſtuere ad fa-*
mam; & omnem ab eis infamiae notam abſterge-
re, tam irrogatam, quam irrogandam; ita ut de cæ-
tero ad omnes & ſingulos actus legitimos apti &
idonei habeantur, & promoveri poſſint: nec non
filios adoptare & *arrogare*, & eos adoptivos
& arrogatos facere, conſtituere & ordinare: Inſu-
per filios legitimos & legitimandos, adoptivosque
emancipare, & adoptionibus, arrogationibus
& emancipationibus quibuſcunque omnium &
ſingulorum, etiam infantium & adoleſcentium
conſentire: & *veniam ætatis* ſupplicantibus *con-*
cedere, authoritatemque & decretum in omni-
bus interponere: *Servos* etiam *manumittere*,
manumiffionibus quibuſcunque, cum vel ſine vin-
dicta; & minorum alienationibus, ac alimento-
rum transactionibus authoritatem pariter & de-
cretum interponere: *Minores* quoque Eccle-
ſias & communitates læſas, altera parte ad id priùs
vocata, *in integrum reſtituere*; ac integram reſti-
tutionem eis vel alteri eorum concedere: Iuris ta-
men ordine ſemper ſervato.

SIMILITER indulgemus tibi prænomi-
nato NICOLAO REVSNERO, ſcientiâ,
motu

motu & authoritate, quibus suprâ; ut possis & va-
leas *Doctores*, tam in Medicina & Philosophia,
quàm utroque jure ac Theologia: nec non *Licenti-*
atos in omni licita Facultate, *Magistros, Bacc-*
calaureos, atque *Poëtas Laureatos creare*, pro-
movere, ordinare, constituere & facere: adhibitis
tamen in cuiuslibet Doctoris vel Licentiati creatio-
ne Doctoribus eximijs, de professione creandi, ad-
ministris; qui Doctorandum vel Licentian-
dum examini subijciant: Et ei, quem idoneum
inuenerint, sufficientemque comprobaverint, tu
authoritatem interponendo, Doctoratûs, Licen-
tiæ, Magisterij, Baccalaureatûs & Laureæ Poëticæ
insignia, ut moris est, conferas: Qui quidem Do-
ctoratus, Licentiæ, Magisterij, Baccalaureatûs &
Laureæ poeticæ titulo à te donati, liberè possint &
valeant in omnibus civitatibus, terris ac locis Sacri
Romani Imperij, & ubilibet terrarum, omnes
actus Doctorales, legendi, docendi, interpretandi,
cathedram ascendendi, & glossandi, de iure dispu-
tandi, consulendi, advocandi, & cæteros actus Do-
ctorales vel Licentiæ, nec non Magisterij, Baccalaureatûs atque Laureæ Poëticæ facere & exercere;
omnibusque & singulis gaudere & uti privilegijs,
prærogativis, exemptionibus, libertatibus, concel-
sionibus, honoribus, præeminentijs, favoribus, in-
dultis

dultis & gratijs, ac alijs quibuscunque; quibus cæteri Doctores vel Licentiati, nec non Magistri, Baccalaurei, ac Poetæ Laureati, qui in Gymnasio Parisiensi, Bononiensi, Patavino, Perusino, Pisano, Senensi, Viennensi, Ingolstadiensi, & quolibet alio publico & privilegiato Gymnasio promoti; vel etiam à nobis ac Divis Prædecessoribus nostris, Romanorum Imperatoribus ac Regibus, insigniti: seu aliter, quocunque modo talia insignia acceperint, gaudent, utuntur, & fruuntur, quomodolibet, consuetudine vel de jure.

VLTERIVS, ut maioribus gratijs & prærogativis te donatum sentias; motu, consilio, scientia & autoritate prædictis, tibi prænominato NICOLAO REVSNERO damus & concedimus amplam & liberam potestatem & facultatem; qua possis & valeas singulis annis, quatuor vel quinque honestis personis *Insignia* seu *Arma concedere*, & elargiri; idonea & convenientia qualitati personæ, (quod ex tuo judicio & arbitrio dependere volumus) ac eosdem cum insignium, tum feudorum capaces facere: dummodò in huiusmodi Armorum concessione abstineas; ne alicui integram Aquilam, maximè Imperialem; aut Coronam Regiam in galea, vel galeam torneariam, apertam & cancellatam concedas; aut auita quorumvis Principum, Comitum, Baronum, & Pro-

Procerum Arma seu insignia præcisè elargiaris?
Qui quidem sic per te armis decorati, huiusmodi
Arma & insignia, sibi per te concessa, ubique loco-
rum & terrarum in omnibus & singulis honestis
decentibusque actibus & expeditionibus, in bellis,
duellis; singulari certamine, & quibuscunque pu-
gnis, vexillis, tentorijs, annulis, signetis, sigillis, mo-
numentis, sepulchris, picturis, sculpturis, & univer-
sa supellectile, pro eorum arbitrio & voluntate de-
ferre & gestare; omnibusque & singulis privilegijs,
iuribus, honoribus, dignitatibus, officijs, gratijs &
indultis uti, frui & gaudere possint ac valeant; qui-
bus cæteri à nobis & prædecessoribus nostris, Ro-
manorum Imperatoribus & Regibus, armis & insig-
nibus decorati, ac feudorum capaces utuntur &
fruuntur: & ad ea admitti, ad quæ illi admittuntur
ac recipiuntur, consuetudine vel de jure. ET, quia
usu compertum est, huiusmodi privilegia & Diplo-
mata non semper posse sine periculo corruptionis
vel amissionis de loco ad locum transportari; pro-
pter frequentes temporis & rerum mutationes: vo-
lentes etiam in hac parte tibi, NICOLAE REVS-
NERE, consulere; ne, quoties præsentium literarum
concessionumque nostrarum beneficio uti volueris,
necesse habeas Originale hoc nostrum Diploma pro-
ducere: Idcirco ordinamus, ut inde plura exempla
sub authentico alicuius Prælati, Principis, Comitis,
Baronis,

Baronis, Magistratûs provincialis aut municipalis; vel etiam alterius alicuius egregiæ & fide dignæ personæ Sigillo transsumere, vel transsumi: sive per Notarium legalem copiam authenticam & collationatam, in præsentia duorum testium fide dignorum subscribi & subsignari facere possis; quibus parem fidem in Iudicio & extra, ac aliâs ubicunque adhiberi volumus: ac si hæc Originales literæ producerentur: Et, si quo casu eveniret, quòd vetustate temporis characteres seu literule huius Diplomatis oculos legentium fugerent, nec agnosci possent: & vel sigillum frangeretur, vel membrana quocunque modo corrumperetur: vel incendio consumeretur: vel etiam tibi supradictò **NICOLAO REVSNERO** eriperetur: tunc memorata transumpta, modo, quo suprà demonstratum est, facta, eandem, quam Archetypum fidem & roboris firmitatem ubique locorum obtinere, nec in ullis actibus aut negocijs, tam Ecclesiasticis, quàm prophanis & mixtis, minùs, ac præiens Originale, valere debent.

POSTREMO, permittimus tibi sæpe-nominato **NICOLAO REVSNERO**; ut quoties huiusmodi gratia per nos concessa te uti contingeret, non opus habeas integrum præsentis Diplomatis tenorem literis tuis, quas de super expedi
diri

diri feceris, inferere: sed articulum ad hoc pertinens
tem, unâ cum parte exordij & annotatione loci &
diei, quo ipsum Diploma datû est, in ipsis comme-
morare tibi sufficiat: Non obstantibus in præfatis
omnibus quibuscunque legibus, constitutionibus,
decretis, consuetudinibus, ordinationibus, refor-
mationibus, privilegijs, exemptionibus, gratijs &
prærogativis; quocunque nomine censeantur; &
cuiuscunque tenoris & munitiois existant; tam
factis, quàm fiendis, per nos; vel prædecessores aut
successores nostros, aut per quoscunque Principes,
Duces, Marchiones, Comites, Universitates vel
aliâs cuiuscunq; generis vel conditionis; sub quibus-
cunque clausulis & verborum expressionibus; eti-
am si talia forent, de quibus de verbo ad verbum ne-
cesse esset hîc fieri mentionem specialem, in contra-
rium facientibus: Quibus omnibus & singulis,
Cæsarea authoritate & potestatis nostræ plenitudi-
ne, motuque & scientia supra memoratis, per præ-
sentes, in quantum huic nostræ Concessioni & In-
dulto obstarent, vel obstare possent, derogamus &
derogatum esse volumus.

Nulli ergò omninò hominum, cuiuscunque
status, gradûs, ordinis, conditionis, dignitatis aut
præminentia extiterint, liceat hanc nostræ crea-
tionis, erectionis, concessionis, largitionis, indulti,
decreti, voluntatis, derogationis, priuilegij & gratiæ

C

paginam

paginam infringere, aut ei quouis ausu temerario
contravenire. Si quis autem id attentare præsum-
pserit, is nostram & Imperij Sacri indignationem
grauissimam, ac pœnam insuper Quinquaginta
marcharum Auri puri, pro medietate Fisco seu æra-
rio nostro Cæsareo; reliquâ verò parte iniuriam
palsi aut passorum usibus irremissibiliter applican-
dam, se nouerit ipso facto toties, quoties contrauen-
tum fuerit, incursum: Harum testimonio lites-
rarum, manu nostra subscriptarum, & Sigilli nostri
Cæsarei appensione munitarum. Datum in ciui-
tate nostra Imperiali Ratisbonæ, die decima quar-
ta mensis Septembris, Anno DOMINI Millesimo,
Quingentesimo, Nonagesimo quarto: *Regnorum*
nostrorum ROMANI decimo nono: *HVNGA-*
RICI vigesimo secundo: & *BOHEMICI* itidem
decimo nono.

Rudolphus.

Jo: V Volf: Freymand.

Ad Mandatum Sac. Cæs.
Maiest. proprium.

Jo. Barvitius D.



IN COMITIVAM
PALATINAM CÆ/
SAREAM

D. NICOLAI REVSNERI
LEORINI IVRISCONSVL.
ti Consiliarij Saxonici &c.

EPIGRAMMATA VA-
riorum & diversorum
auctorum.



J E N Æ

M. D. I C.



E T X H

HENRICI RANZO VII
Producis Cimbrici

I N

Comitivam Palatinam

Cesareis auspicijs

CL. V. D. NICOLAO
REVSNERO IC.
donatam.

Nunc etiam ingenium, virtus & sacra Poësis
Debita REVSNERO premia teste ferunt.
*Aonidum decus hic, Themidis lux, cura Minerva:
Plurima iam longo tempore scripta dedit.
Dumq; sui sic ingenij monumenta per orbem
Spargit, & insigni nomen ab arte refert:
Germanis populis qui dicit iura RODOLPHVS
Confert huic summi Caesar honoris opus.
Illius adscribens in sacra Palatia nomen,
Aula sit Comes ut nobilis, ipse facit. (det,
Maclenovis titulis! tibi quos REVSNERE secun-
Quem summo observat mundus honore, DEVS.
AD*



Ad Clarissimum virum

D. Nicolaum Reufnerum

IC. & Comitem Palatinum & c.

Epigramma

DAVIDIS PEIFERI IC.

Cancellarij Elect. Saxon.

M ulta reservati Cæsar specialia Iuris,	A.
Si non hæc alijs conferat, vnus habet.	B.
Solus enim Lauro, doctos redimire Poëtas,	C.
Publica quique notent acta creare potest.	D.
Amisam solus, deleto stigmate, famam	
Reddit: & aspersum diluit opprobrium.	E.
Restituit solus primis natalibus hos, qui	
Exciderant stirpis nobilitate suæ.	F.
Solus legitimæ ius præstat originis illis,	
Incerto peperit quos patre certa parens,	G.
Quin etiam vires præsentia Cæsaris addit	H.
Rebus: & excluso roborat acta dolo.	I.
Indulget veniam Princeps ætatis adulto,	K.
Et sic, quod non est, solus id esse facit.	L.
Civiles illi rescripto tollere leges,	M.
In terris cùm sit lex animata, licet.	N.

C 3

Sanctio

Sanctio non ligat hunc, non iudiciarius ordo. O.P.
 Non falli, non hunc fallere, iura probant. Q.
 Ille Palatino solus dignatur honore, R.
 Quostitulistantis iudicat esse pares. S.
 Hoc REVSNERE, Comes sacri venerande Palati,
 Cùm tibi contulerit Cæsar honoris onus:
 Quantum Romano supremus in orbe Monarcha
 Iudicium de te fecerit, ipse vides. T.
 Nempe suum quo cum Cæsar partitur honorem,
 Teste alio meriti non eget ille sui.

- A. Bald. in l. rescripta, C. de precib. Impe. offe. & in l. 1. C. de
 Jur. aureo: annu. Aluarottus in c. naturales. Si de feu.
 fue. contro. in usib. feudo: Iacobi: de S. Georgio in tractatu
 suo feudali. in verbo, sed an Princeps.
- B. Specula: de instrument. edit. §. restat. vers. sed quis potest fa-
 cere: num. mihi. 22. & vers. Et scias. num. mihi 23.
- C. Bart. in l. 1. C. de dignitati. lib. XII. num. mihi 44. tradit,
 Nomen dignitatis quandoq; stare in nomine generis sui, ut
 presbyter, Decurio, Miles: quibus ego Poetam Laureatum
 annuero. Dignitatem porrò nouam Iacobi de S. Geor-
 gio, in tract. suo feudali, verbo, sed an Princeps &c. dicit,
 solum Imperatorem creare posse. Qui cùm hodiè Poetas
 coronet: utiq; hoc actu illis dignitatis titulum tribuit: ut ex
 diplomatibus Imperatorijs videre licet. Et quia Cicero si-
 nitimum Poetam Oratori esse ait: Orator autem omnib. alijs
 Professoribus præferatur: ut docet Bart. in l. 1. C. de digni-
 ta. lib. XII. per gloss. l. 1. C. de Stud. libera. urb. consequens
 est, Poetas ab Imperatore laurea ornatos, æquè ut Orato-
 res, dignitatis gradum tenere. Similium enim eadem est
 disciplina.

disciplina. l. 3. §. Proinde ff. de in rem uer. Fuit olim Roma usitatus & per vulgatus honos, ut Poeta lauro coronarentur: quem honorem post urbem eversam, aliquot seculis desuetum, Senatus Romanus ad veteris consuetudinis similitudinem reuocauit: & Anno Servatoris nati 1341. Franciscum Petrarcham, magna populi frequentia & congratulatione, in Capitolio laurea donauit: quam ille, magna nobilium comitatus turba, ad templum inde Petri-um detulit: & tholo suspendit: ubi aliquot postea annis permansit. Post Petrarcham Aeneas Syluius, qui Pontifex factus, mutato nomine, Pius II. fuit dictus, ab Imperatore Friderico III. lauro coronatus fuit: & primus deinceps Germanorum omnium Conradus Celtes, natione Francus, ab eodem Imperatore Lauream accepit. Inde ius Poetas coronandi, successoribus eius in Imperio praeipuum & peculiare fuit.

D. Innocentius & Canonista in c. cum P. tabellio. ext. de fide Instrum.

E. L. 1. §. Eum qui: ff. de postu. & Bart. in l. Infamem: num. mihi. 13. ff. De pub. Iudi. quem allegat ad hoc Menochius, de arbi. Questioni. lib. 1. quest. 92. num. mihi. 3.

F. Toto titulo ff. De natalib. restit. & notat Budeus in l. fin. ff. de Senato. Zasius in l. De unoquoque in prin. ff. De re iud.

G. Auth. quib. mod. natura. effi. legiti. §. fin. Qua authentica etsi de naturalib. tantum natis ex concubina loquitur: extenditur tamen etiam ad spurios: iuxta Bart. in l. ex complexu. c. de incest. & nefa. nupt. & facit l. Qui in prouincia §. Diuus ff. De ritu nupt.

H. L. Omnium: & qua ibi notant DD. C. de testament.

I. Notatur in l. probatorias. c. de diuers. off. lib. XII. & facit l. 1. c. de

- C. de præd. Decur. lib. X. adde Bald. in l. 1. C. de his qui per
met. in iudi. non appel.*
- K.** *L. 1. & 2. C. de his, qui veni. et a. impetr.*
- L.** *Bald. in l. 1. C. de in. aure. annulo.*
- M.** *Iason in l. 3. n. 8. ff. Quod quisq. ius statu. in alt.*
- N.** *Auth. De consulib. circa fin. & ibi gloss. in verbo, legem.*
- O.** *L. Princeps. ff. De legib.*
- P.** *Panormitan. in c. XI. In causis, Ext. de senten. & re iudi.
num. 6.*
- Q.** *Bald. in c. Ad petitionem. Ext. de accusat. & allegatur à
DD. ad hoc tex. in l. fin. C. de ponderat. & illat. aur.
lib. XI.*
- R.** *Bald. in d. l. rescripta.*
- S.** *Zasius in l. Quidam consuluerunt. ff. Dere iud. ubi dicit.
Princeps promouendo aliquem ex certa scientia ad ali-
quod officium Reipub. respicit in eo virtutem & probi-
tatem.*
- T.** *Zasius in d. l. Quidam consuluerunt: per. l. 2. C. de crim. sac-
crile. dicit. Eum qui de Principis iudicio disputat, sacrile-
gium committere, & sacrilegij pœna afficiendum esse.*

IN PALATINATVM D. NI-
COLAI REVSNERI
viri celeberrimi.

CHRISTIANVS DISTELMEIR
in Molsdorff & c. Cancell. Elect.
Brandeburg.

Quod sibi te Comitem nunc sacra Palatia sumunt
Cæsaris, & titulus crescit honore novo:
Gratulor, ac precor hinc succrescant vberè multo
Commoda multa alijs, commoda multa tibi.
Tu mundum scriptis decoras, te Cæsar honore:
Imperij Comes es, te comitatur honor.

PAVLI

Pauli Melissi Franci Comitis

Pal. & Equ. Aurati, Civis Romani

M E L O S

AD NICOLAVM REVSNERVM IC. Comitem Sac. Pal.

QVod Palatinam tibi dignitatem
Annuat Caesar merito RVDOLPHVS;
Gratulor REVSNERE tuis amico
Pectore Musis.

POSTHIVS mecum est hilaris; tuoque
Latus est GRVTERVS honore, nec non
Fama quem celo vehit, excitatâ
Mente FREHERVS.

Ecce iam gaudens patrium decoro
Verticem plausu Leoberga tollit;
Iam caput Ienaus apex in auram
Celsius effert.

Ad tuos cursum celerant Penates
Entheus vatam chorus, & Daphneis
Ambiunt ultrosi docta cingi
Tempora fertis.

Tu dator promptum facilemque tali
Te gregi praebebis, at inter illos
Maximum discrimen habebis, utris
Sit bona vena

In modos, utris secus: hinc priscois
Sint pares, illi nova saepe fingant.

D

Hand

Haud sat est, nudis properata vinculis

Verba iugares

Plebs uti plerumque hodie suevit.

Vix ubi charta breve carmen uda

Illitum est, tritis datur officinis,

Prælaque seruent

Non laborato pede. Crebra adauge

Crimen errorum seges, absq; mendo

Nil ferè prodit. Salebra scabrosæ

Plana morantur;

Vt viatorem malè nata rupes

Scrupea, adversis inimica talis.

Elegans, scitoq; polita torno

Penna meretur

Gloriam, serosq; manet nepotes.

Negligens artis stilus, inq; comptum

Deses, auctorem pariterq; sese

Dat citò pessum.

De Clariss. viro,

D. Nicolao Reufnero I.C.

& Comite Palatino, &c.

Contulit augustos Reufnero Cæsar honores,
Comitemque sacri amplissimum Palatij
Fecit ob inumeras virtutes, quæis velut alter
Phœbus per omnes notus est prouincias,
Huic similes alios plures tibi, maxime Cæsar,
Adscisce Comites, alter ut sis Iuppiter.

Io. Posthius Archiater Palatinus Elect.

Clariss.

Clariss. viro
D. Nicolao Reufnero, Comiti
Palatino recens à Sac. Cæs.
Maiest. creato.

Dum purpuratos tot, sua queis diu
Delerat etas nomina, Cæsares,
Dum tot silentibus sepultos
Eruis è tenebris Monarchas,

REUSNERE, luciq. asseris erutos:

Dum docta lustras symbola carmine,
Quod prisca, quod venturaq. olim
Invideant, videantq. secla:

Dum recta legum consilia excutis:

Promisq. in hostem Thracia volumina:

Dum publice tranquillitati
Qua nimis, & nimis heu labascit:

Casumq. (vertat quod Deus,) ultimum

Latè minatur, porgis opem, & catus
Fulcis, quibus potes, ruinam
Viribus ingenioq. firmans:

Dum litteratos tot Proceres rogò

Voracer aptos restituis, palam
Das ora, das ipsos tueri
Cum genio ingenioq. vultus:

Dum lecta passim Emblemata, dum pari
Contexta nisu dia Poëmata

Producis in lucem, sequaces
Se quibus afficiant nepotes:

Perfusa dulci dum tua neetave

Oracla fasces, & populum tenent:

D 2

Dum

Dūm rura, dum fluenta, tractusq;
 Et Latia monumenta terra
 Pulchrè venusto detegis ordine;
 Rerumq;, mundiq;, & Dominam, & caput
 Urbem Quirini: dum Senatus
 Atq; Duces Venetūm: tuag;
 Cum Gallicanis mœnia patriæ
 Spectanda prodis: nec patere obruta
 Fœdo situ fœdè iacentes
 Hellados interijisse muros:
 RVDOLPHVS, ipsum qui Pius, & Potens,
 Gubernat orbem, te tuag; approbat,
 Stupetq;, decernitq; tantis
 Promeritos meritis honores,
 Hinc te Palatini in Comitibus gradum
 Benignus ascit: gratulor, hoc tibi
 REVSNERE gratulantur omnes
 Pierij, tua cura, Vates,
 Musaq; ovantes. Macte, age, quâ soles,
 Virtute, fructus ingenij exere
 Novos: novo remuneretur
 Quos iterum Deus hinc favore;
 Quantumq; crescet cum studio labor:
 Tantum labori crescet honos Comes:
 Hinc sera te loquetur etas
 Phœbiis utraq; domo cluentem.



Eidem

Eidem Parodia, ad illam Horati.

Quis desiderio sit pudor. Lib. 1. Od. XXIII.

Ad Barbitum.

Q Vis iam carminibus sit modus? aut virum
Quis tantum fileat? Dic, age, Slesium
Vatem, Barbite, cui dicere Delius
Divos atque homines dedit.

Ergò **NICOLEO** iam titulus recens
Cessit? cui Charis, & Pieridum pater
Latonâ genitus, nataque vertice,
Quando illum similem dabunt?

Raris ille quidem nobilis artibus,
Nullâ nobilior, quàm melicâ, fuit.
Sed frustra canis, heus Barbite, seculi
Phœnicem, superis parem.

Quòd si Mæonio nectare dulcius
Dilectum sylvis divideres melos:
REVSNERI nihil accedat honoribus,
Queis tristi semel è rogò,
Iam supra invidiam, fataque surgere
Tot scriptis dederit Fama loquax libris.
Magnum! Sed penitus sunt sapientia
Qualem corrigere est nefas.

Eidem.

Quæ tibi non noti, notissime, iusimus, illa
Sunt REVSNERE animi pignora certa mei.
Qualia sint, cape, cunq, boniq, ea consule, & equi,
Si pro conatu consequar hoc, satis est,
Deinde, tuos qui iam dudum, vir magne labores
Mirov, & ardenti peçtore depereo:
Assere me, obtestor tua te per scripta, tuorum
In numerum, atq, hac me, si pote, parte bea,
Tunc mihi nascentur tentandi qualibet ausus:
Gliscet & in fibris entheus ille furor.
Fallimur? haud certè, Iam me novus excitat ardor,
Quem REVSNERE tibi, & me quog, devoveo.

Arnoldus Helius Medioburgensis
Flander Carolo Principi Mans-
feldæ à Secretis,

DE COMITIVA PALATINA

AB IMP. CÆS. OPT. MAX.

RVDOLPHO II. adsignata

Magnifico & Nobilissimo viro

D. NICOLAO REVSNERO IVRISC.

Confiliario Saxonico, Acad, Ienensis Antecessori &c.

Inclita REVSNERI quis non habet angulus orbis
Nomina, quæ celebris vulgavit buccina Famæ,
Auribus insinuans cunctorum animisque bonorum?
Sic meruit doctrina viri, sic ardua virtus.
Cultores nam neutra suos finit esse latebris

Obscuros

Obscuros tectosvé vnquam; vulgoque profano
Exemptos, cœli super evehit aurea templa.

Iamque adeò Cæsar, quo nil maius meliusvé
Donarunt superi terris, sua præmia largis
Dispensans manibus virtuti, te Comitivæ
Iura Palatinæ voluit, REVSNERE, tenere,
Tâm subuectum altè, tantisque insignibus auctum,
Toto Augustali tibi suffragante Senatu,
Et titulis plaudente novis meritò atque libenter.

Quin & amicorum, tua quos tibi conciliavit
Parsim terrarum virtus doctrinaque præstans,
Tâm gemini Iuris, quàm fandi copia dulcis,
Multosque eximios que, tuo huic gratatur honori
Turba omnis, totumque novis Heliconâ lacepsit
Carminibus certans. Quos inter, me quoque, si non
Degenerem his studijs Pimpleum escendere collem
Furcillis Musæ prohiberent, præcipitemque
Deijcerent, socium laudum, REVSNERE, tuarum
Acciperes. At nunc placeat tibi nuda voluntas,
Tantis læta bonis, tibi dedita, amice, favensque.

At vos, virtutis cultores, pergite læti,
Speque bona pleni. Nondum est nostra omnibus ætas
Effœta aut exhausta bonis. Stant præmia rectis
Fixa etiam studijs. Modò sint qui recta sequantur,
Grassenturque via vera ad laudemque decusque:
Non deerit merces. Hanc iam REVSNERVS adeptus
Est solidam, calcemque mei & vestigia presit
Giphanijs: quem non pridem maectavit honore
Cæsaris aula pari, Comitibus dignata Palati
Nomineque titulisque sacri, cum Cæsar ad Istrum
Consilium imperij summis de rebus agebat.
Quantum est, Principibus tantis potuisse placere!
At quantum est, Superis sese ac sua posse probare!

Cunradus Rittershusius Brunsvic. V. I. D. facieb.

Altorphij in Acad. Noribergensi IX. Martij

Ann. cl. I. XCVI,

In

In Comitivam primi ordinis
D. Nicolai Reufneri Comitis
Palatini Cæsarei.

Epigramma D. L. I C.

Quàm bene sacra Themis Comes indisiuncta Quiritum
Cæsaribus Divi Cæsaris ore datur! **a**
Quàm bene saluifica medicina inuentor Apollo
Cæsareum decorat, ceu rosa verna, latus. **b**
Fallor? an istorum veteranos castra sequutos
Iupiter Ambrosiâ, nectare Cæsar alit.
Iupiter à Diâ percussos pectora flammâ,
Iusti custodes Cæsar origo Dices.
His sacra quin prima Comitivam sanctio pompa,
Purpureamq; dabat lambere posse togam.
At qui diuinis adhiberis ut assecla mensis,
Pallat I consors Reufneriane Comes?
Cur mihi non videar sumentis prandia tecum
Nuper diuinis inter & esse cibus?

a. l. vni. C. de Comit. & trib. schol. b. l. vii. C. de Comit. &
Archiatr. Sacr. Palat.

IN COMITIVAM NICOLAI
REUSNERI I. V. D. & P. L. &c.

Non vñitata nec tenui vehi
REUSNERE penna diceris, ut parem
Cælo ferat te Fama viuum;
Post cineros tibi quid relictum est?

Contentus

Contentus aulæ non modò honoribus
Magnus cluis jam Confiliarius:
Nec docta tantùm pulpita ornas
Ingenio preciosiore.

Incertus iste atque ille tibi locus,
Fortuna vtrunque infert variabilem;
Sæpè Aula turpat Clasicos, aut
Mobilitas vitiosa vulgi.

DOCTORIS at certus titulus tibi,
CERTUS POETAE: NEC COMITIVAM habet
Mors vlla: nullus te Tyrannus
Exuet his titulis potentem.

Tu perge doctis Teutonicum libris
Replere mundum, viuere litteris.
Sic gloriæ raram coronam
Posteritas tibi fera texet.

*Franciscus Hildesheim D. Illustriss. Elect.
Elect. Brand. Medicus.*

In eandem Comitivam.

GRande licet pretium Baccam commendet, honosq;
Grandis, ubi Indorum vellitur uda mari.

Vt tamen artificis teres ipsam lima decenter
Expolit, atq; auro nobiliore ligat;

Nescio quo meliore ferit splendore tuenteis,
Distrabiturq; eris commodiore modo.

Quòd si fortè oculos magni quoq; Regis inescat,
Ac capitis dignam censet is esse sui;

Vn'o tunc demum verè, tunc unica gemma est;
Tunc audit triplicis Dædalus orbis amor.

Sic quoq; sit Natura licet, REVS NERE, corusci.
Vel tua te dederat nominis esse virum;

E

Ve

Vt tamen inde tibi lavit labra lympha Medusa,
Lustravitq; novo Laurus odore caput;
Crevit in immensum tua laus, interq; Poetas
Eximia eximios dapsilitatis eras.
Nunc sed ut applicuit maiestas te sibi dia
Caesaris, atq; Aule dat Comitem esse suae;
Nemo tuae sorti vatum equiparabilis extat,
Fisq; Poetarum pompa caputq; gregis.
Hocq; magis, Reusnere; modestia quò tua eiusdem
Pompa minus querit, querit & esse caput.

Ian. Gruterus de Gruytere.

DE COMITIVA PALATINA
D. Nicolai Reusneri IC. Hieronymus
Arconatus Sac. Cæs. Majest. à
secretis bellicis.

Bella gerit Cæsar magno servore RODVLPHVS;
Et rigidi Martis fortiter urget opus,
Adversas acies Turcarum proterit, urbes
Expugnat, latè depopulatur agros.
Musarum studia, & pacis nihilominus artes
Tractat, Achilleo more suosq; beat.
Testis honoratus vates Calaminus, ab ipso
Laurea qui nuper Cæsare ferta tulit;
Testis tu simul es locuples, REUSNERE; Poëta,
Hinc Eques, & nunc es, Cæsare dante, Comes,
Cæsar enim placidis tot scripta diserta, subindè
Quæ luci mandas, aspiciens oculis:
Doctrinam, ingeniumq; tuum, moresq; probavit;
Teq; Palatini iussit habere decus,

Con-

Concessit de jure suo complura, colonis
Concessa haud multis haecenus Aonidum.
Præmia nimirum tibi debita, rebus agendis
Dextro, solerti, conspicuoq; viro.
Aucte novis igitur titulis & honoribus, almi
REVSNERE Ô felix Cæsaris auspicio:
Ex animo tibi gratamur, gaudemus, ovamus:
Tollimus augustum nomen ad astra tuum:
Oramusq; Deum, numeres ut Nestoris annos,
Perpetuò florens, perpetuoq; virens,
Te quoniam longum, vivente, valente, valebunt
Et vivent Clio Pallas, Apollo, Dice.

Ad D. Nicolaum Reufnerum, de
Comitiva Palatina gratulatio.

Georgij Carolida Carsbergij P.L.

Virtus usq; adeò latere nescit,
Ve nolens quoque prodeat sub auras,
Vitæ lumine perpeti foventes.
REVSNERVS latuit diu, volensq;
Virtutis nitidos premebat ignes:
Qui nunc cum genio exeunt perenni;
Hac REVSNERE vides, probasq; tandem.
Solers in sapientiæ rigasti
Fontibus placidis caput decorum:
Solers ad sapientiæ recessus
Duxisti fidei tuæ dicatos:
Dives præmia nunc capis Rudolphi
Terrarum domini remensa dextrâ,
Doctis parueras, & eruditos

Formabas propriâ eruditione,
Ferres ut meritos utring, honores :
Nunc confers Sophia viris honores
Caesaris vice debitos peritis.
Nomen nobile quod labore multo
Et tibi & domui tuae parasti :
Iam confers alijs labore nullo,
Factus Casareo potens favore.
Amplius tibi quid velis honore
Princeps gloria NICOLAE gentis.
Sorti gratulor, & tibi salutem
Felici precor a vitate longam :
ARCONATVS idem cupit tuorum
Fautor primus & integer bonorum
Faxit vota Deus, tuumq; longa
Heredum serire ampliet decorem,
Vite luminis a vitate salva.

*Ad D. Nicolaum Reusnerum IC. auctoritate
Imperatoria Comitem Palatinum
designatum.*

Virtutem quicumq; colis, cupienter honorem
Ne cupias : dignum spontè sequetur honos.
Virtutem coluit primis REUSNERVS ab annis,
Antistes Themidis, Pegasidumq; decus.
An non hic, famâ jam pridem cognitus orbi,
Doctorum vehitur laude per ora virum ?
Quòd si principibus placuisse haud ultima laus est,
An non principibus perplacet ille viris ?
Testis Saxoniae procerum domus inclyta : testes,
Quotquot habet claros Teutonis ora, duces.

Testis

Testis RVDOLPHVS Patriæ Pater, inclytus heros.

Subdita cui tellus pâret, & astra favent.

Hinc, REVSNERE, virens laurus tibi tempora cingit :

Hinc venit illustris nobilitatis honor.

Tertius accedit sacri sacer ordo Palati :

Vlterius, vix, quò progrediaris, habes.

Hanc ego fortunam grator tibi : teq; vigentem

Florentemq; diu servet IOVA, precor.

Zacharias Brendel Medic. & Philos. D.

in Acad. Salana.

Caspari Arnoldi Philos. & Medic.

Doct. & Professoris in Academia Iulia

NICOLAUS REVSNERVS P. COMES

PALATI

ἀναγεγραμμένον

SVPERNA VERVS INCOLIS COMES PALATI astra;

Tuæ ultimam optimamq; summam id esse dico laudis.

De eodem

ELIÆ REVSNERI LEORINI

Med. Lic. & Professoris in Academia Salana

Anagrammata.

NICOLAUS REVSNERVS LEORINVS IVRIS VTRIVSQVE

DOCTOR, ET PALATINVS CAESAREVS,

CLARVS, ET PRVDENS COR, VIR SERMONE SERENVS;

IUSTITIAEQVE OCVLVS, VITA CORONA, SALVS,

E 3

Aliter.

Aliter!

κατὰ προσωποποιίαν

Saltem vocula ET omisâ.

LVCIS VIR CLARVS, PRVDENS SERMONE
SERENVS,
IVSTA CORONA VOCOR, IVSTITIAE QVE
SALVS,

Aliter:

Ad Iesum Emanuelem.

SALVATOR NOSTER, CORDISQVE CORONA, IV-
VANS RE
IESVLE, SVM CARNIS SVRCVLVS IPSE TVAE,

De eodem

Ieremias Reusnerus Leorinus, Comitum
Salmensium Consiliarius,

Seu Pallas tibi, sive Palas dat nomen honoris,
Seu Caesaris Palatium:

Sit quodcumq; libet tam magni nominis omen,

Quod auspice geris Cesare;

Sit felix faustumq; tibi, sit denique genti,

Reiq; publicæ bonum.

Pro multis unum hoc votum, GERMANE, precabor:

SOLI DEO SIT GLORIA.

Ad Magnificum Nobilissimumque Virum D. Ni-
colaum Reusnerum, IC. & Com. Palatinum Cæl.

LAVRENTIVS RHODOMANVS P. L.

Corporis atque animi varijs quem dotibus amplum
Præ multis fecit cura paterna Dei:

Cui

Cui viget insigni præstans in corpore Virtus,
Quæ nec in heroum pignora sæpè cadit,
Mascula cui vis est animi; cui mentis acumen
Nobile; quo penetrat clausa, profunda videt.
Omnigenas Sophiæ fructus cui divite cornu
Fundit Amalthææ semper amica manus,
Quem culti decorant mores; quos omnibus aptos
Hinc lepor, hinc gravitas mixta lepore facit.
Cui fluit eloquium; promptum cui pectus ad omne
Consilium quovis tempore, quoque loco,
Fundere qui novit teretes ex tempore versus:
Si vates inter ludere fortè juvat.
Et cui, sermonem si promere quando necesse est,
Nestoreis certat lingua canora sonis,
Qui, dum juridicæ pandit mysteria Divæ,
Aequiparat summos dexteritate viros;
Certatim hunc meritò docti venerantur; & altis
Hunc cœptis adhibent consilijsq; Duces.
Romani hunc meritò præses ter maximus orbis
Præ multis alto CÆSAR honore beat.
Talem te REVSNERE VIRUM DEVS, omnia donans,
Ingenijque tui fervida cura, facit.
Vnde fit, ut magnos pridem sis nactus honores;
Virtuti merces quæ, nisi verus honor è
Iamque PALATINI COMITIS sibi munus ab ipso
Cæsare, quo nihil est clarius orbe, venit.
Hoc erat, in primo tibi quod prædixerat ortu
Quondam lanificis de tribus una soror.
Namque ubi vitales generrix te fudit in auras;
(Promeruit certam mystica fama fidem.)
Cœperunt aliquot de te contendere Divæ;
Dum te vult proprium quæque tenere sibi.

Inprimis

Inprimis vatum præsentia numina Musæ,
Hisque comes Charitum quæ solet ire Trias;
Eloquijque parens, Grajis quæ Rhetra vocatur;
Et benè Ius moderans imperiale Themis;
Addicit tibi quæque suum propensa favorem;
Promittit studij præmia quæque sui.
Dumq; ita lis pendet, taciti Dea præscia fati
Veridico tales edidit ore sonos:
Parcite de tenero contendere, parcite, alumno.
Cur, quod cunctarum est, vendicat una sibi?
Hic facer Aonidum vates erit, inde virentem
Cum verâ laurum nobilitate feret.
Hic erit antistes legum, quem dia galero
Purpureo, ut summo cinget honore Themis.
Hic Orator erit: primos cui Suada favores
Spiret, apud doctos conspicuosque viros.
Præterea mentes huic gratis jungit Honestas;
Ut simul hunc cupidè, qui venerantur, ament.
Cuncta sed absolvet tandem dux unica Virtus;
Dicet ut hunc COMITEM Cæsaris aula suum,
Ne præsens illum tantummodò prædicet ætas;
Postera mirentur sed quoque secla virum.
Sic ait, At læto fatum quod sine probatum
Nunc datur, ex animo grator & ipse tibi,
Et precor, hoc longum potiaris honore per ævum,
Quod dehinc mitis texere Parca velit,
Ingenijq; acri pergas depromere nixu,
In commune latent quæ meditata bonum.
Carmina da Musis restantia; pande Themistos
Abdita; consilij dirige cœpta Ducum.
Eloquijque decus per sidera denique tolle:
Aulis atque scholis commoda mille ferens.

Sint

Sint vegetæ Charites magis ac magis : & tibi Virtus
Quas dedit asservans post locupletet opes.
Donec ad optatum sistat te Gloria portum ;
Post obitum meritis quæ quoque digna canit.

Magnifico nobiliss. & consultiiss.

Viro

Nicolao Reufnero sacri

Palatij Comiti &c.

I Sta merebatur virtus tua premia, totis
Iam toties orbi cognita, nota polo.
Voce celebrasti superos : tua carmina pubes
Discit, & ostensas amula carpit opes.
Das famam extinctis, redivivaq; corpora sistis,
Heroum innumeros enumerans numeros.
Quod maius meliusque (loquor cum plebe, Camæne
Dent veniam) iuris scrinia solus habes.
Scævola qua quondam, quæ Cassius edidit, edis,
Ingenio & genio nobilitata tuo.
Fama ingens parta est : parta ingens gloria ; Phoebus
Iam sua persolvit munera, iamq; Themis.
Non satis est, inquit Romanus Caesar : habebit
REUSNERVS precium grandius & melius.
Ille Palatine Comes audiet inclitus aula :
Ordinis ille orbem pars moderantis erit.
Fas mihi vera loqui, re non dissimulanda fateri :
Cæsareus Divûm munera vicit Honos.

Heinricus Meibomius, Poëta Cæsareus,
in Acad. Iulia Professor.

F

Ad

Ad D. Nicolaum Reusnerum IC.

nobilem, & Comitem Pal.

Cesar.

REVSNERE, summi Principis, ultimi
Rerum Monarchæ, scripte manû SACRI
Comes PALATI, luculentis
Sponte suâ adstipulante punctis
Suffragiorum totius in chito
Aulæ Senatû : Quæso negotij
Quid esse dicam : quòd, Rodulphi
Cæsaris auspicio, secundum
Haud cogitanti talia Lauream
Utrò coronam mittis, & altero
Honoris auctu me salutas
Cæsarei titulo Poëtæ?
Quamvis MELISSVS, ille Poëtici
Princeps senatûs, hoc caput antea
(Quod sat fuisset) gloriosæ
Nobilitavit honore Lauri:
Grandeis mereri tu tamen occupas
REVSNERE grates : dum mihi pristinam,
Et fortè primo, dignitatem
Laurigeri geminas Poëtæ,
O magna QVARTINUMINA CAROLI,
Et ô RODVLPHI! Vestro ego numine
Iam consalutor Laureato
CAESAREI titulo Poëtæ.

Fridericus Taubmannus, P. L.

Acad. V Viteberg. Professor.

Magni.

Magnifico, Nobilissimo &
Amplissimo Viro,

D. Nicolao Reufnero Leorino

IC. Comiti Palatino Cæsareo, Consiliario Saxoni-
co & Collegij Iuridici Seniori ac Professore Ordinario in
Academia Ienensi, &c. de nova dignitate
gratulatur

M. IOHANNES VVANCKELIVS P. L.

EN, SALANA, favens tuos Cæsar auget honores,
Maximus ter & Optimus Cæsar ille Rodolphus;
Sub patrocinio suo qui novemq; Sororum
Ocio & Themidos decus, Patriæq; salutem,
Omnia una simul trahat ne ruina, tuetur.

REVSNERVM Comitem Sacri dicit ecce Palati,
Arduiq; vicarium muneris jubet esse:
Qui piè Themidem colit Cynthiumq; tot annos,
Propriam Patriæ bonis posthabetq; salutem.

Magnus ille honor. At velut lucis ortus ab ictu
Fulgor è speculo emicat; Sic reciprocus ornat
Vestrùm utrunq; honor. Est tua singulare Salana,
Singulare tibi decus NICOLAE Salana est.

Ergo Cæsareo simul gaudeatis amore,
Atque Cæsareo diu fulgeatis honore.

Vosq; Pieria quibus cura summa Sorores,
Huc adeste, cæti gradum ferte: me duce letus,
REVSNERI sibi dexterâ porrigente, Coronam
Quisq; Laureolam petat, munerisq; datorem
Cæsarem canat Optimum Maximumq; Rodolphum.

F 2

Eidem

Eidem ἀναρχαυμαλιχῶς.

SCITIS CARMEN APOLLO SVAVE NERVIS

Sic attemperat, astupente Olympo;

Sicut te digitis lyræ canora

Argutantibus increpante fila,

Nympharum chorus obstupescit omnis,

REVSNERE, Aonidum patrone, mystes

Astræ, decus unicum Salanæ.

Et mirum, tibi Cæsaris Rodolphi,

Quem virtus tua prolicit, favorem

Sedem inter Comites Sacri Palatî

Assignare, Vicarium suoque

Te succedere muneri jubere!

Hæc hæc scilicet est celebriore

Res dignissima gratulatione:

Hic faustam titulus precationem

Et solennia postulat, colentûm

Phœbi numina Cæsarisque, vota:

Vt longo Aonidum Patronus ævo,

Et Sacri Comes audias Palatî;

Et plestro chelyæ increpans eburno,

Salvo Cæsare, sicut alter aptes

SCITIS CARMEN APOLLO SVAVE NERVIS.

Ad eundem

M. VVolfgangi Heideri Academiae

Salanæ Professoris EPS.

O REVSNERE, quibus cælo te laudibus æquem?
Natura ne prius miret, sortisq; benigna,

Ad

An propria virtutis opes? qua singula magnos
Alta vehunt super astra viros, tibi contulit uni
Omnia cura Dei. Tot enim labentibus annis
Arte potens, & Marte potens genus omne parentum,
Et multis opibus pollens, & honore feroces
Eminet Elysios inter. Quid frontis honorem,
Atq; Deo dignam faciem, quid pectoris amplas
Ingenijq; tui dotes monumentaq; dicam
Plurima, qua relegent seri mansura nepotes?
Si diversa meant anima per corpora, jurem
Cecropij mentem tibi fata dedisse Platonis,
Et Cicero divine tuam, cultiq; Maronis,
Euganeiq; senis, Mutiq; : tot artibus unum
Te prestare doces, & sidera vertice pulsas.
Te gremio Lavinia suo complexa dolebat,
Cum Rheni peteres ripas, Elliq; : dolebat
Argentina tuos lenam quod abire penates
Cerneret; optatas ubi nunc tibi numina sedes,
Et vegeta requiem tribuunt meliora senecta.
Te proceres, magniq; Duces regesq; benignis
Certatim maectant studijs, venerantur, honorant:
Te sacri Comitum summus iubet esse Palati
Arbiter Imperij, patria spes unica terra:
Qui causaq; valens, causamq; iuvantibus armis,
Victor ad undantem propè sanguine fulminat Istrum:
Et Scythicos nostro procul arcet ab orbe latrones:
Nec minus interea doctis facit ocia Musis:
Ingenuasq; colit, fovet, auget, & excitat artes.
Vive diu Reusnere, datos cape latus honores:
Consilioq; tuo patriam, patriaq; parentes
Auxilioq; leva; Sic ibis ad astra, nec atas
O REUSNERE tuis de laudibus ulla filescet.

Melos ad eundem

Ioannis Schuchij Turchamij P.L.

Ogdoas I.

Quid est, quidve erit, aut fuit
Dignum mage, Diva litterarum
Dic fodes, meliusculis que
Ferrier hymnis;
Strepitibusque tubæ trabalis,
Non absque hominum triumpho,
Adusque domos ve-
ctarier incumbentis Olympi?

Ogdoas II.

Triumphantibus huc & huc
Subvecta rotis, ovando laudum
Vultu nescio quid sereno
Fama per orbem
Loquitur; Herculis in labores
Verbosior; atque Thesæi
Plenis putà buccis
Facta propè ad ravim usque recantans.

III.

Furens ardor in Eccetram,
Regemque tricorporem lacerti,
Et nati ad potiora nervi,
Te ô bone, cœlo
Benè micantibus asteriscis
Non longè ab utroque plaustro,
Certantis & istic
Ad speciem, Tyrinthic, ponunt.

Honor

IV

Honor crassus, & oppidò
Quàm corporeus ! cui astra fas sit
Bruto robore brachiorum
Posse mereri ?
Apage sis itidem Gigantas,
Stirpem ad lubitum torosam,
Dum Iupiter esset,
Municipes admittere coelo.

V.

Vt est robore pranimis
Bos Luca ferox, ubi in dracones
Exarsum ; sed eòne barrus
Nomine Divos
Meruerit ? Satis è ΙΒΗΟΥΑΒ
Fluxisse ratum est statutis ;
Commercia coeli,
(Queis oriunda) & cætera luce

VI.

Vti Mens bona liberâ,
Nullo accubitu negociorum
Nullo pondere pressa discat ;
Promaque condaque
Vbi loqui fuerit necesse,
Voces fabricante lingvâ,
Et pollice voces,
Sensa modo demonstret utroque.

VII.

Sed olim hoc fuit (heu fuit !)
Nunc Cimmerijs (malum) in tenebris
Alté infossum animum videre est,
En chaos, in quod

Vetule

Vetule nos rapuit Ad astra
Sicut xheres recto
Ab ignis igni
Consultus vester umbris
IX
Ad omnia prope mundum
Vergit bene habet non leuova
In quod opacitas usquam est
Non ita nostra
Mala ope, Mercurijque vigis
Sic phoebe polo ab occidit
Montes nebularum
Talinco transcedenda
IX
Sole mac nov, sed hic
Vendit in Di labor nostra
Quis nam olim in tenebris presentium
Sic ubi cor di est
Turbare facta mens veteris
Quisnam Deus huncce Moplium
A spiritum car, & non
In tenebris sui Moplium veteris
X
Hic dum loquor, ianua
Diva, & reliqua loquuntur
Lata anker, qd telam
Nihil vnum
Opera die sibi de ludana
Vt Medidit in astra
Transistit in arbor
Hanc quis post deinde Moplium

Verule nos rapuisti ADAME.
Sicné æthereis reciso
Ab ignibus igni
Consulitur, si veſtitet umbris

IIX.

Ad omnem propè nauseam?
Verùm benè habet: manu IEROVAH EX-
Itur quod opacitatis usquam est:

Non ita noſtrâ
Malâ ope, Mercurijque' virgâ,
Sic Phœbe polo ab recurvo
Montes nebularum
Fulmineo transcendere niſu

IX.

Soles mane novo, Sed hîc
Vendunt ſua Dî labore noſtro.
Quis nam olim in tenebris prehenſum,
Sic ubi cordi eſt

Trahere fata meris veternis?
Quisnam Deus huncce Mopſum
Adjutum eat? & non
In tenebras, aut Morphea vertat?

X.

Ita hic dum loquor, innuit
Diva, & reliquam loquutioni
Læta attexit ipſa telam:
Nil niſi vatum
Opera dia ſubinde laudans.
Vt Mœoniden in aſtra
Transcripſerit ardens
Fama prius, poſt deinde Maronem,

Verule

Vt &



XI.

Vt & nos quoque Pindaro
 Iam plus minus ille septilustris
 Donarit favor in RHODANTHEN,
 Perquam operosus.
 Ibi tuum LEORINE fulmen
 Quo verberare, quo tumultu,
 Thracum isset in agmen,
 Ad tenerum decantitat unguem.

XII.

Quorusquisque Mahumerum,
 Gentisque equimulgæ Hamaxobitum,
 Te Demostheneum tonante,
 Non timet? Ipse
 Reo ego hoc, alijque rentur,
 Non Nestoras ille Atrides
 Ad Ilion altum
 Ante tibi Ajacemve tulisset.

XIII.

Diu est, quod placitum ad Salam
 Astræa tuo reversa ductu,
 Ceu postliminio, usque ab astris
 Dicitur: istic
 Modò lyrâ, modò cum Tibullo,
 Neutrum sine Grattarum
 Dulcedine sommâ,
 Saxa moves, divinior Orphéo.

XIV.

Stupet flumen, & alueum
 Saltantibus inquietat undis;
 Succlamant retonando colles;
 Antra loquuntur,

G

Reci-

Reciprocos iterando versûs.
Tu jugem operam canendi,
Jugem vice versâ
Antra operam navant recinendi.

XV.

Eho, quis tibi Cæsarum
Arrisit, Olympiæ corollæ
Lemniscum merito poetæ?
Quis sacra sacri
Capere jura dedit Palati?
Nunc tu, velut angvis olim,
REVSNERE, ubi ver est,
Pellem hominum deponis, & ultra

XVI.

Vtrumque abriperis polum:
Feliciter inclyto RODOLPHO
Augusto, patriæ parenti!
Cui, LEORINE,
Comes es ad latus, alta Divi,
Nolente volente Momo,
Palatia curans;
Aonidas, Phœbumque gubernans,

XVII.

Ave Cæsaris & tuâ
Virtute Comes; velis deinceps
Dictator, genitorque Vatum
Dicier, O si
Mihî ea lux foret auspicalis,
Vt te videam? Sed æquum est,
Cessabo, tibi ultrô
Concilio assurgente Deorum.

Ad

Ad Magnificum Nobilemque Virum
D. Nicolaum Reulnerum IC. Comitem Palatinum.

Epidicticum.

CHRISTOPHORICOLERIFRANGI P. L.

Etsi nunc fractâ tumidum mare sulco carinâ,
Nec video optatum longinquo è gurgite portum
Navisfrago qui sepè viro est iucunda voluptas:
Intereâ scribo tamen. hoc dum rideat æquor:
Dum dea Respiciens volucris respectet ab orbe,
Nam simul obnupsit varijs me turbida rebus
Spinosas in corde serens Rhamnusia curas;
Nil in me lepidum mansit neq; amabile quicquam:
Omnes de nostro nigrarunt pectore Muse:
Quæq; iocos Erycina ciet, quæq; una lepores,
Incutiens homini dulcem per pectus amorem.
Sed redeas mihi, nostra Venus: cum congrege cætu,
Lauriger ô Cynthi Parnassia culmina linque.

Quem mea Calliope sumis laudare? Quid alto
Carmine perpetuis intexere provida chartis?
Altera REVSNERI dicetur adorea nostri?
Qui nunc Casareo lateri magis ire propinquus
Gaudet, & in sacri spectari parte Palati.
Non secus huic nova laus generoso pectoris acrens
Virtutem irritat, quàm si cui sepè Quiritum
Inclut: victori dederat Victoria palmam:
Ille Patrum applausu populiq; in vocibus ardet,
Possem ego nunc REVSNERE tuis effingere factis
Dignum aliquid, quod post loqueretur pagina sæclis:
Tu quoque Mecænas, parvo clarante Marone,

Alti volans magnum posses insistere Atlantem.
Sic quoque Messalam iuvenilis penna Tibulli
Elevat. Exauditur adhuc Messala tonare,
Itaque peregrinis etiamnum milite terris,
Militia studet usque sua, geminamque triumphat
Piso togam, vegeto magni Seneca ore nepotis.
Tu mihi sis Piso: crescat mea gloria tecum
REVSNERE; o radio des tu mihi vindice lucem.
Sic aurum vilem rutilum micat inter arenam:
Et lapides gemmis miscentur, & algaroseto.
Nam tua quam veteres exaquant acta Togatos!
Iam tu miles eras, & legicrepa arma gerentis
Cinxit honoratos augustius umbra capillos:
Servatig, rei tribuit Victoria quercum.
Ferrata valeant milleno milite cura,
Captaque colla ducum, vivaque ex hoste rapina.
Præ Mavorte truci præstant placida arma Quietis.
Quid miraris uti Lybicam cum clade per Urbem,
Scipiades ierit, picto præfulgidus ostro?
Quidamvé Camilleo capitolia lata triumpho?
Sume pares animos; talique incensus honore
Tute incede Forum, palmis annosus ab ipsis.
Plaudit enim vitamque tuam benè dicit, & illis
Consilijs, dictisque, cati stat Saxonis aula.
Seu tu Sarmaticos orator adire Polonos
Iussu utriusque Ducis, rerum ob molimina, gestis:
Sive domires cautus agis, sublimis haberis.
Ius dicis, sed iure: vagas nec præterit aures
Ars fabricata dolis, speciosi aut pondere dicti.
Tantum è mens dictis capiatur? quàm neque cygni
Plumæ, nec pura nivis est mage candidus albor.
Nemo pollicitans, nemo auri pondere flavo,

Pro.

Proximus sibi pectus emat, vel mulceat bilum,
Deq; statu labefactet idem, manet una neq; auro
Cedere mens animi novit propria amplior arcâ:
Estq; argentatis populi contraria votis.

Certa lues, animi ô iners ars multa fruendi
Turpis Avarities, hominum quò pectora vertis?
Nil tibi opes addunt, nil demit egentia; nullo
Exsaturanda penu, semper ieiuna Cupido.
Te sequitur Dea seva suis Insomnia curis:
Te Mala Mens, Macrorq; & nullo corpore Pallor,
Teq; venenatis Mors adproperata sagittis.

Maecte animi, maecte his in pectore dotibus; omni
Par aeo, licet infausto nimis edite saclo!

Sic tu Iusticiae detortus tramite nunquam,
Segregus in medijs perstringis lumina culpis.
Quae lux tam niveis effulset candida mundo
Alitibus? Quae tam felicibus orta quadrigis,
Quàm puro quae te factum dedit antè metallo?

Posses, ut velles, studijs vigilare severis,
Et tibi non tetricam posses sudare per artem;
Non potius lites tolerare, aulamq; vereri,
Latrantesq; fori turbas, quàm volvere malle,
Magna sepulcrarum mysteriaq; abdita legum,
At tibi non desunt doctæ manar eloquella,
Qualis aquae aërio de vertice proficit uber,
Perq; vias penetrans populi mediasq; per urbes.
Vix lingua vibrare ausit Demosthenis arma
Tullius è Rostris trepido tutella clienti,
Audiret tua dicta obversus ob ora loquentis.

Sed quis digna tuis disponat carmina factis?
Vel saltim laudum fastigia summa sequatur?
Crescit opus: gliscunt nova semina materiei:

*Vtq; tuæ laudes sic sentit paginâ molem.
Ilias una sat est: sat te laudaret Homerus.
Dignior ille tuis aptaret carmina gestis,
Qui Troia cineres Phrygiumq; resuscitat agmen,
Stemma tuum, Caesar, primis auctoris edens.
Posset idem, nimiam viridanti raptus in ævo
Qui bella Aemathijs cognata novavit in arvis.
Tanta tuis meritis contingant ora; virenti
Tamq; operosa manus ponat tibi præmia cedro.
Hæc tibi nunc cecini iuvenilia: fortibus annis
Fors maiora dabo: sineret modò Triga sororum,
Fatali quarum æverigent decreta tabellâ.
Hæ mihi si parcent, nec acerbis cogar inesse
Funeribus, laudesq; Deûm, laudesq; virorum
Non tacitus tollam, victurâq; nomina Divis
Et titulos miscebo, notam Virtutis inempta.*

Ad eundem

Michaelis Viridungi Franci P. L.

Scazontes.

P Roles Minervæ, lactææ pater Musæ,
Suadæ medulla, Iuris entheus mystes;
Flos ô virûm, flos corculumq; cultorum
REVS NERE nostri gemmeum decus tractûs;
Pro nobili labore, proque virtute
Sat grande remet esse præmium indeptum
Divi RVDOLPHI gratiam incluti, invicti,
Qui te omnibus vult esse rebus ornatum,
Et porro honore cumulat, auget ornatum:
Hoc est, quod animus gestis, hocque nixatur

Vt

Ut gaudium turgente pectore erumpat,
Quò sensu mentis nostra deliquem versu?
Quis sat tumens Apollo pectus inspiret?
Quæ suada linguam? quo tuæ queam laudi
Sat esse, quo sat præmio queam laudis.
O omnium dudum antegresse virtutes,
Felicitates nuper, an miraris
Si claudicante te assequi haud queam versu?

Ad eundem

Calparis Bonifacij Vinariensis P.L.

Epigramma.

Nicolaus vulgum & vulgi vota improba vincit:
REVSNERE hoc omen nomine victor habes.
Victor es & Claro superas Heliconæ triumpho,
Barbaries vinc̄tas fertq; fremitq; manus,
Inclutus aurato qui te labor evehit axe,
Iure Palatinas servat utroq; vices.
Ponè triumphali comitatur GLORIA lauru,
Rutigenâ Augustum fronte revincta caput.
Salaidum haud vano gratantur numina plausu,
Nempe adeò Hercules Pancratiasta clues.

Aliud.

Marci Chemnitij Egrani.

Nunc mihi Phoebe tuos paullum concede sonores:
Aonioque meum tinge lepore animum.
Summa mihi cura est gratantia fundere verba,
Et titulos REVSNERI his decorare novos:

REVS-

REVSNERI qui dum gemino præfulget honore,
Sertis Phœbe tuis & Themis alma tuis;
Gloria Cæsareæ se jungit tertia dextræ,
Ut tituli meritis convenienter eant.
Vares, Consultus, sacri Comes inde Palati,
Personamné hominis Semideiné gerit?

Ode

Ad Magnificum & Nobilem

D. Nicolaum Reufnerum IC.

Equ. & Com. Pal. Cæsareum &c.

Sophonia Hasenmulleri Franci P. L.

REVSNERE, magni Cæsaris inclute
Comes Rudolphi; cui Sapiencia
Prudentior magmenta tantorum
Emeruit titulos honorum;

Quem nata natis nobilior viris
Iuxta Columnas imperij stitit
Virtus, ut equis impotentem
Consilijs retinere mundum,

Oraque perstes Saxonica sinum
Servare iustis, quàm pote, legibus,
Et auspiciis pervicaces
Vindicijs remove turmas;

O quàm lubentis mente animi tuas,
REVSNERE, laudes, non levis ingenI
Excelsioris buccinator,
Magnifico canerem tumultu

Heroi-

Heroicorum, par uti, versuum.

O quàm suavis mi foret impetus.

Narrare finitos eundis

Finibus Aonidum labores!

Tentata plenis omnia viribus,

Quaecunq̃ Pimplai nimis ardua

Sunt visa consensu, supremos

Donec ovans apices petisti;

Orationis melliflua potens

Succo vel ipsum ducere Mercuri

Obliviosum, si quid agri est,

Præpetis eloquium magistri:

Poëta plectro dulcis eburneo

Virtutem, honestaque studium rei

Necdum institutis, quæ capeffant,

Insinuare animis iuventa;

Vel grandioris Maonio tuba

Sono per orbem pluria Cesarum

Clarare Germanum tropæa,

Resque àomi haut sine laude gestas:

Consultus autem talis, ut ipsamet

Primas Senatus juridici Themis.

Nymphaque Salana, Ducesque

Iure tibi dederint perito.

Hæc quàm sinistro carminis alite

Vellem lubenter dicere, si DEVS

Et spiritum mihi & favorem

Pierium daret invocanti:

Si labra nobis Pegaseus liquor

Humore felix imbueret suo:

Si plenius Cleio sonantem

Alta tubam mihi commodaret.

H

Si

*Si Phœbus umbrâ virgineâ meâ
Tuente lauri contegeret caput :
Ne magna conantem metuto
Iuppiter horribilis boatu
Terreret ignei fulminis, ut solet
Plerumque turres frangere debito
Sublimiores; & minoris
Parcere parietibus tigilli,
Sed esse tantum non licuit mihi
Adhuc beato, Velle mihi, ut vides,
Inane tantum est, hoc benignè
Accipito: eveniam beatus.*

Ad Nicolaum Reufnerum IC.
Comitem Palatinum Cæsareum & c.

Sapphicum Hermanni Plassij P., L.

O Mnibus villis generosa virtus,
Omnibus gemmis, ebore & venustis
Arcibus cunctis domibusque **VIRTUS**
Anteferenda.

Nam perit fundus subito per ignem;
Et cinis Neptunia Troja facta;
Sola sed **VIRTUS** remanet, nec igne,
Nec perit ense.

Mergitur nunquam fluvio; resurgit
Ex malis; nunquam violatur armis:
Nulla **VIRTUTEM** minuit senectus,
Nec labor ullus.

Perditur

Perditur robur senio, venusta
Diffluit tandem facies dolore :
Sola sed virtus remanet superstes
Mente reposta.

Occidit luxus, dominatioque :
Occidit fumosa domus : globosa
Terra secretis sepelit cavernis
Stemma genusque.

Sola viventes facit alma VIRTUS :
Vivit hac ingens Agamemnon heros :
Vivit hac Hector, simul ac Achilles
Maximus armis.

Vivit hac vatum decus ipse Homerus,
Et Maro, & Naso, simul & Tibullus
Dum polus stellas, bibulas arenas
Littus habebit.

Dulce dum mustum, generose vates,
IBNA, dum cultas segetes habebit :
Laus, honos, nomenque tuum, virorum
Docta per ora

Curret : & Daphnis viridesque laurus,
Et PALATINI COMITIS trophæum,
Et THEMIS, facundiaque oris omni æ-
tate virebit.

Gratulor : vivant lepida Camœnæ :
Gratulor : vivant generosa, vivant
Parta nuper dona tibi tuisque
Tempus in omne.

Ad eundem

*S*ancta videbatur Themis inclinata iacere ;
Aegraque vix semet sustinuisse pedo.

H a

Salam

*Salam respiciens Sapiētia diva: Medebor,
Inquit, & inveniam gnava labore viam.
Atsit RBVS NERVVS legum Phœbique Sacerdos:
Fulciat is solium, iustitiæq; latus.
Teutlebio illustri fidus societur Achates:
Quo nemo inventus celsior ingenio.
Prator is effultus trabeâ det iura: sagaci
Consilio antestet cui Leo Casareus.
Audis iudicium de te, Leorine, tuorum,
Qui merito recolant nomen honore tuum.
Maeste Palatinis Comes addite, maeste, virumque
Te presta! quod agas, patria nostra dabit.
Iustitia ante oculos casta obversetur imago,
In pactis constans, in gravitate fides.
Non auro moveare: inopes defende clientes;
Eloquio oppressos queso tuere viros.
Sic tua quæ nubit florentia tempora, laurus
Vivet ab exsequijs, nec moritura. Vale*

Sub ortu V. Procyonis, quo die Carolus Magnus
Imperator mortuus.

Io. Milinaus. P. C.

Ad eundem.

M. Guilielmus Reineccerus.

Summe Vir, Antistes Astrææ maxime, quo jus
Vix alius tantâ dexteritate docet:
Magne novenarum cultor præsesque sororum;
Carmine qui Claræ flumina fundis aquæ:

Haud

Haud indignus habes, quod habes, insigne reclusum :
 Haud decus immerito nobilitatis habes,
 Nobile nam statuit tibi virtus inclyta nomen,
 Ingeniumque volans docta per ora virum,
 Inde Palatini Comitibus laus surgit honorque,
 Inde Coronati nomine vatis ovas.
 Hinc dum Nasonis, magnique poema Maronis,
 A Scraeque senis, Maonidaeque vigent :
 Edita magnifici *REVSNERI* scripta vigeant ;
 Nomen & a grata posteritate ferent.
 Ex illis etenim ceu divite fonte poetis
 In sua *REVSNERVS* flumina duxit aquas,
 Sic tamen, ut possent sua, non aliena, videri
 Carmina pro studio tot perarata suo,
 Ac in praecipuis Anagrammata docta repono ;
 Quis effingendis vix reor esse parem.
 Et si forsitan adest eadem qui fingere norit,
 Illius ille tamen carminis autor adest.
 Nemo fuit lenae, qui talia conderet ante,
 Aut qui tot posset condere, nemo fuit.
 Hinc igitur famam. (rumpantur ut ilia Codris)
REVSNERVS meruit, dum vehet astra polos.
 De reliquis, vario cecinit quae carmina plectro,
 Quis queat hic verba dicere digna brevi ?
 Quicquid enim scripsit, Musis & Apolline dignum
 Scripsit, & aeternum carmine nomen habet.
 Scilicet huic debent grates & carmina Musae ;
 Quas olim Latium, Graecia quasque tulit.
 Praesule digna suo Themis huic praeconia laudis
 Debet, & eximium, jus ob utrunque decus.
 Ac ego, qui mentem sum saepius ipse benignam
 Illius expertus carmine, voce, fide :

H 3

Hæc

Hæc licet exhibitis satis haud facientia factis,
Carmina grata tamen qualiacunque fero,
Est aliquid, benè pro meritis benè posse mereri:
At si posse deest, vel voluisse lat est.
Hac spe jam fretus pro magnis parva rependo;
Haud dubius, quin hæc consulat ille boni,
Gratia sit Christo; sit honos & gloria Christo;
Quòd mihi REVSNERI conciliatur amor:
Cujus amor, studium, favor, & propensa voluntas
Pluris erunt, quàm si Croesus amicus erit,
Divitiæ pereunt, cum forma nomen, honores;
Gloria, quam tribuit Musa, perennis erit,
Laudatis placuisse viris, eadenique laus est;
Major at est summo laus placuisse Deo.
REVSNERI prior est mihi laus ex carmine parta,
Alterius præstet spemque fidemque Davs.

Inspectabilem Palatii Casarei Comitum Magnifici Nobiliss.que Viri D. Nicolai Reusneri IC.

Gratulatio Davidis Hessi Arterensis P. L.

Nescio quid subito nostras rumore calenti
Nuncia fama tenax veri, transverberat aures;
REVSNERVM titulis ornatum & honore recenti
Sublimem sacri Comitum fulgere Palatii?
Extemplo tantum merita virtutis honorem
Condecocare brevi Pietas me carmine iussit;
Quòd nisi me spacio septum Natura teneret
Exiguo, doctum nec carmen Apollo negaret:

Si maior nostros inflaret pectoris artus
Spiritus; ut digno possem te tollere plectro
REVSNERE, Aonia celeberrima fama caterva:
Cuncta tua pleno canerem praconia laudis
Ore, nec ingrederer per summa cacumina rerum,
Hec tamen interea devota carmina mentis
Suscipe, nec tenuis gratantia dicta Camana
Sperne, licet Claria Praeses sis maximus unda.

Quid iuvat hunc clara praestantia nomina laudis,
Nomina, quae proavi solidam virtute pararunt,
Iactare, & famam splendescere velle patritam;
Qui non ingreditur patria virtutis apertam
Orbitam, & à proavis acceptos stirpis honores
Illustrat, Themicam perfundens pectora lympham;
Ingenuasque colens Musarum & Apollinis artes:
Aut durum sectatus opus Mavortis, & arma,
Clangoremque tubae, generoso pectore in hostem
Irruit, & lethum mavult pro laude pacisci.

Quod si prognatus proavorum sanguine claro,
Stirpis honos, Genium virtuti destinat omnem;
Seminaque & summa felicia dona secutus
Natura, patriam transcendat nomina fama:
Hunc merito memori feliciter inseret aevum
Nescia fama mori, nullique obnoxia letho.

Sed REVSNERE genus, vel culti pectoris artes,
Iustitiam aut vitam morum gravitate decoram,
Virtutesve animi potius mirabimur in te?
Et genus & titulos miramur, & omnia mentis
Munera, & ornamus meritam tua nomina laude:
Quamvis tanta mea virtus non indiga laudis
Sit tua, quae rutilum splendore implevit Olympum.
Nascenti cunas, & grati luminis usum

Urbs

Urbs Leoberga dedit non ultima gloria terræ
Elysiæ, sed nunc virtute & nomine tanti
Nobilitata viri, magis & celebrata per orbem,
Fallor? an infantem cupidis amplexa lacertis,
Calliope fovit, blandoque hac edidit ore:
Salve parve puer, salve spes maxima vatis;
Salve Iusticiæ custos, Themidisque sacerdos:
Sydera contestor, si iusta adoleverit ætas,
Doctrina & comi morum gravitate vigebis;
Et tibi concredet Germania magna salutem;
Magnus & Imperij Caesar pro talibus ausis
Offeret emerito Comitivam sponte Palati,
Hæc ait, & cunas frondenti baccare cingit.

Non humili, non es plebeia stirpe creatus;
Sed genus exornant proavi, quibus editus olim
Qui iustis patriam rexerunt legibus urbem,
Patritiâ clari gravitate, vigore celebres
Consilij: sive hoc pacis, seu nubila poscant
Tempora Mavortis: quod mens generosa Leonis
Denotat in clypeo, quem stirps REVSNERIA gestat:
Ardua sic sequitur Virtutem gloria veram.

Sed tu non patriæ contentus imagine laudis,
Nominis æternam per culta Palladis artes
Quæstisti famam; nec te spes ista fefellit:
Et quanquam bello tibi præmia nulla cruento
Sint data, Pierio tamen est laus parta liquore.
Quid verò vires, quia ferri proderit usus,
Omnia ni solida mentis ratione gubernas?

Te Phæbus Clario modulantem carmina plectro
Audit, & lauru Daphneide tempora cinxit:
Lauru, quam meruit tersa facundia lingua,
Quam meruere tui Musis & Apolline digna

Ingenij

Ingenij monumenta: & felix copia rerum,
Sermonis cultus, Sophiaq; scientia vera.
Nam ceu vere novo, cum lux Titania ridet,
Sedula apis vario dulces è flore liquores
Sugit, & aëreo distentat nectare cellas:
Haud secus è doctis lectissima quaq; libellis
Eruis, atq; tuis sapienti pectore scriptis
Intexis; placidas optato fœdere Musis
Coniungens Charitas, ac miscens utile dulci,
Nec tantum Sophia cultis subsistis in hortis:
Sed vita genitus, spaciosa volumina Iuris
Nocturnis tractans manibus, manibusq; diurnis,
Successu legum praecepta verenda secundo
Percipis; hinc sacram Themis utraq; & utraq; Pallas
Texuit Aonia capiti de fronde coronam:
Nec te vel numerus legum, brevit asq; moratur,
Nevé quod ambigua sententia saepe lateret
Legis, ut ingenio nequeas deprendere verum.
Ceu quondam Phoebus ceca sub nocte rogatus
Eventus cecinit dubio sermone futuros,
Obscuris vera involvens, spe pectora vanâ
Deludens hominum, frustra q; timore fatigans,
Nec te multiplices Themidisq; Dicaq; periti
Qui diversi abeunt, atq; in contraria tendunt,
Detinuère; graves nec tot sine nomine rixae:
Non te tantorum facies immensa laborum
Abstraxit; sed enim te duxit in intima sacri
Iuris, & aquarum Virtus penetrata legum.
Felix humana qui secum tempora vitae
Perpendens, primo Virtutem spectat ab ævo:
Atq; ita florentes, non demens, collocat annos:
Hinc ut priva suum ferat & respublica fructum:

I

Scilicet

Scilicet ut summi venerentur Numina Regis,
Humanum iubar genus è tellure creatum est:
Sed mortalis homo iucundas luminis auras
Hausit, ut hinc vite socios homo sentiat usus.

Atq; ubi te geminâ velatum tempora laurus
Vidit, & ingenij dotes, & verba disertis
Tincta sono, atq; animum studijs solerter honestis
Excultum, ac titulos virtute atq; arte paratos;
Post tot Lavinga exantlatos spontè labores
Per multos annos, & tanto nomine dignos,
Imperij sacri primùm tibi Spira tribunal,
Argyrope hinc legum tibi munia digna docenti
Detulit, & dulci coluit fovitq; sub umbrâ.

Post cùm per cunctas tua se diffunderet oras
Fama, tuumq; magis decus increbesceret orbi:
Te procul illustris felicia germina Ruta,
Saxonia, REVSNERE, Duces, à flumine Rheni
Ascitum, doctis Salana Palatia Phæbi
Vocibus, & solidâ facilem volvere iuventam
Doctrinâ regere; & juris dissolvere nodos
Pectore sollerti, Si desunt cætera, quantum est
Oceanum firmâ juris sulcasse carinâ:
Et comitum duplici laurus caput esse coronâ?
Quantum est ornata suavissima flumina lingua
Fundere, & arguti sensum enodare latentem
Iuris, & eximio leges componere nisu?
Scilicet hæc multos almi prudentia iuris,
Quamvis obscuro generatos sanguine patrum,
Ad summos titulos & summum nomen honorum
Et tenebris raptos evexit, & ardua rerum
Munera commisit, Quid multum exempla requiris?

Alphenis

Alphenus clausâ fasces trabeamq; tabernâ
Promeruit, solâ dum juris gnaviter arte
Pectora formaret, Themidosq; inviseret hortos.
Quid reliquos referam? quos cultis artibus auctos
Vexit ad astra Themis? Quid quod non cetera desunt?
Nam tu consilijs habitus non futilis autor,
Saxonia fidâ commissa negotia tractas
Mente Ducum; tanto quo non est dignior alter
Officio, seu quis mores artes verequirat.

Nec tamen his titulis aut tanto munere latius
Aut contentus abis. Nam te colit inclyta Consum
Curia Saxonidum, quam stirps generosa dicavit:
Astræ, ut cause, dirimantur jure, suborta:
Officij tanto fulges splendore: renident
Illa tuo: & tantum gaudent virtutis alumnum
Oblatas solidâ gravitate capeffere habenas.

At quia mente senex, & devolventibus annis
Aetas ingenuæ dextrè tua convenit arti;
Tu merito Senior cultuq; ævoq; Scabinus
Diceris, ut paribus sint congrua nomina rebus.
Hic tu justitiam legesq; librâ mine certo
Distribuis; iustos & falso crimine noxæ
Delatos, ipso dimittens jure solutos:
Sed meritas meritâ, Duce lege & Casare, pœnas
Asperitate reis statuens; quæ bina severa
Munera iustitiæ dextrèq; pièq; ministras.

His ubi muneribus, titulisq; atq; artibus auctum,
Ensis Imperij Princeps cognoverat, uno
Consensu Imperij procerum te misit in oras
Sarmaticas, diras ut volvens pectore clades,
Quas Mahometigenæ, gens dira atq; efferâ bello,
Intentant capiti nostro, socia arma rogares

Regis Hyperborei, cui terra Polonica paret:
Nec te que canis florentes inficit annos
Aetas; nec moles & vasti corporis artus;
Nec te tristis hyems, nec torpens frigore cælum,
Non ratio victus, non extera fercula gentis;
Tedia nulla via, non ulla incommoda cursum
Detinuere tuum; mentis solertia tanta;
Tanta tibi Imperij patriæq; est cura salutis,
 Quod tu felici susceptum sydere munus,
Quo REVSNERE animo, quo pectore (nulla recusans
Tedia, pro dulci Patriæ subeunda salute)
Gesseris, & placidâ superûm confeceris aurâ;
Id tua scripta probant multo evigilata labore:
In quibus horrendi fæd' fraga facta Tyranni
Ante oculos, doctâ veluti depicta tabellâ,
Ponis; quæ tantum monstrant ex ungue Leonem:
Scilicet hîc belli strepitus & prælia cedunt
Consilijs: Et quo laus est & gloria maior
Vnum hominem totas ad belli fœdera gentes
Allicere, & doctâ Martem suadere loquelâ:
Quàm paribus telis, odijsq; occurrere sævis
Hostibus, & celsâ superare pericula mente:
Sic tua se virtus terras REVSNERE per omnes;
Exerit; & belli tantum Martisq; labores
Exuperat; quantum stellas aurora minores.
 Ergò pro vario vitæq; vitæq; labore
Exhausto, Imperij lumen columenq; Rudolphus
Promerita, & culti præstantes pectoris ausus;
(Dum cupis Imperio vires acquirere toti,
Et patriæ prodesse tua, prodesse iuventa,
Principibus prodesse viris, quæis Saxona, nomen
Terra dat, Imperij sortem indignatus iniquam)

Securus

Secum perpendens atq; omnis Caesaris aula:
Celsa Palatini Comitibus tibi nomina tanto
Digna viro, & merito titulos splendore nitentes
Adscripsere, sacra Claridum plaudente caterva:
Tanta molis erat, Comitivam acquirere laurum!

Macte animi virtute tui REVSNERE, Palati
Qui nomen Comitibus solidam virtute parasti!
Macte animi virtute tui! sic itur ad astra;
Hoc est virtutis durum decurrere campum,
Et rectam tenuisse viam: non flectere cursum
In peius: pauci quos Pallas & equus amavit
Phœbus, & alma poli Virtus ad sidera vexit:
Quos certum est solitas hominum transcendere metas;

Hoc meruere decus, nullo delebile seculo.
Macte animi virtute tui! te gloria curru
Evehit aurato, serumq; reponit in avum:
Et tibi, quam nullum seclorum terminet avum,
Transcribit, merita virtutis premia, famam.
Non etenim angusto mortalis limine vita
Circumclusa perit Virtus; licet undique diris
Livoris stimulis, & dente petatur acerbo:
Sed magis atq; magis vires acquirit eundo;
Et cunctos ævi fines transgressa perenni,
Perfruitur vitam nullis moritura diebus.

Macte animi virtute tui! tu stirpis honores
Amplificas REVSNERE tuae, generisq; paterni,
Et magnis nomen titulis transcendis avitum.

At vos fraterno REVSNERI nomine lati,
Vos titulis gaudete novis, quos ille recenti
Fulgore illustrat, magno spectandus honore.

Tu quoq; clarorum tellus Silesia nutrix
Patria terra virum, tu tali lumine gaude:

Sed tu præ reliquis genitrixq; alitrixq; Leoris
REVSNERI, latos imo sub pectore motus
Concipe, quod tantum tuleris Virtutis alumnum,
Vos quoq; conscripti Patres, quos inclita Iena,
Iena decus Phæbi, solito veneratur honore,
Vos quoq; REVSNERO Comitivæ premia laurûs
Gratantes, digno virtutem laudis honore
Gaudete ornata, Nam vobis inde refulget
Lux nova, quæ totum penetrat splendore Lyceium;
Et tu Magnifico studiosa Juventa Patrono,
Dedita Pteridum delubris, fausta precare
Omnia, cui magna REVSNERVS & artis & oris
Spondet opem; spondet prudentis pectoris omne
Consilium; & mentem Pimplæo perluc fonte;
Virtuti, & vigili Musis operata labore:
Nam sua virtuti sunt premia; premia Musis:
Emeritesq; viros Phæbea theatra secutos
Ornat honos, tanta virtutis calcar & artis.
Vivit adhuc, vivatq; diu vigeatq; Rudolphus
Imperij Caesar, qui premia digna rependis
Virtuti, vera fons nobilitatis & omnis
Splendoris, vasti moderator maximus orbis.

Sed tu magnificis titulis & nomine gaude
Aonidum REVSNERE decus, lumenq; Lyceij;
Et tenui scriptum filo non abijce carmen.
Te condigna decent æterno carmina cedro:
Me spernit Claridum quamvis in vota vocatus
Rektor Apollo; negant vires in carmina Muse,
Ergo age placato conscriptum conspice vultu
Magne Poëta metrum, maiori digne Camænâ:
Et tibi devotum, multum observande, clientem
Suscipe Mecænas, solitoq; tuere favore.

Sic

11.
Sic tibi sit sacri felix Comitiva Palatii:
Sic DEVS aetherei moderator & autor Olympi
Longevum humana tibi vita indulgeat usum:
Quod tibi gratanti voveo feliciter ore,

F I N I S.



Sie ist die Kaiserliche Commission Palat:
Sie ist die Kaiserliche Commission Palat:
Longo et humiliter tibi vult indulgentiam
Quod tibi gratanter vobis feliciter ore.

F I N I S



A 2490

ULB Halle
003 485 986


3




sb

kom







30



IMP. R. VDOL-
PHI SECVNDI, ROMA-
NORVM CAESARIS
SEMPER AVGVSTI, &c.

Comitiva Palatina

Ex singularigratiâ concessa

D. NICOLAO REVSNERO
IVRISCONSVLTO.

*Cum Epigrammatis variorum
& diversorum auctorum in
honorem eiusdem
scriptis.*



I E N Æ

Typis Tobie Steinmanni, Anno 1599.

CVM PRIVILEGIO.

